



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Rutgerus Abbas XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

quis de Steinfeld jus Patronatûs, ut vocant, facelli Suntheim nobis liberaliter concessit, robore hanc donationem auctoritate suâ Dietherico Episcopo Herbipolensi; Heroldum anno 1232. ex mortali hac vita piè decedentem, altero mox anno 1233. secutus est

SIMON ABBAS XXIV.

Vix gubernaculis Monasterii nostri admotus Simon fuit, animum continuò adiecit ad ædificia hostilibus nuper flammis absumpta rursus extruenda; quamvis bellici tumultus, quibus Cives Herbipolenses Episcopum suum implicabant, nondum compositi essent, quin quot diebus magis magisque invalescerent. Et perfecisset sinè dubio inchoatum opus, nisi vix elapsis in abbatiâli officio annis 15. requiescere à laboribus suis iussus fuisset anno 1248.

RUTGERUS ABBAS XXV.

Restorationem Monasterii ab Antecessore inchoatam absolvere studuit Rutgerus Abbas hac dignitate ornatus anno 1248; quam quoad gessit, variis modis Monasterii sui utilitati consultum

sultum ivit; Illius quippe operâ & Monasterii & oppidi Schwartzach Advocatiam, ut dicimus, nobis adjudicavit Episcopus Herbipolensis. Denique Rutgerus allodium in Dettelbach à Comitibus in Castell, à nobili autem viro de Steinfeld 6. mansus illius bonorum in Bawlach emit cum tota decima, confirmante hæc omnia Honorio Papâ. Atque ut nihil omittamus eorum, quæ Rutgeri temporibus acciderunt; erat annus 1266., cum festo S. Cyriaci Hennenbergenses magnâ clade ab Herbipolensibus affecti fuerunt. Rutgerus postea anno 1271. è vivis excessit.

ARNOLDUS ABBAS XXVI.

Videri poterat insignem Hennenbergensium cladem optata tranquillitas exceptura esse; sed, nescio quo fato, accidit, ut belli flammæ non modò non restinctæ fuerint, verùm etiam majores clades Schwartzaco nostro incumberent, Arnoldo Abbate electo anno 1272.: Cùm enim Henricus Castellensis antiqua quædam jura in oppidum Schwartzach prætenderet, juncta cum